



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,  
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de**

**Lvgdvni, M.DC.LI.**

§. 1. Aliorum sententiis propositis nonnulla præmittuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)



auxilio gratiæ supernaturalis non possunt fieri actus supernaturales, concedo minorem: adiutū habitū supernaturalem, & auxilio gratiæ, nego minorem: ergo actus supernaturales non possunt produci à potentia volitiva, distinguo consequens: tanquam à principio adæquato, concedo consequentiam: tanquam à principio inadæquato adiuto habitu supernaturali, & auxilio gratiæ indebito, nego consequentiam.

12 Obiicies secundò. Omne principium inadæquatum & parziale exigit aliud comprincipium, quo indiget ad operandum: ergo si voluntas esset principium parziale actū supernaturalem, exigeret aliud comprincipiū, videlicet habitū: ergo habitus supernaturalis illi esset debitus, quod est absurdum. Antecedens probant, quia omne principium parziale essentialiter ordinatur ad aliud comprincipium, sicut omnis pars ordinatur ad aliam partem. Nego primum antecedens, vel illud distinguo, ut omnem æquocationem occasionem adimam Thomistis. Omne principium inadæquatum ex suppositione, quod sit operaturū exigit aliud comprincipium, sine quo operari non potest, concedo. Omne principium inadæquatum ex se absolute exigit aliud comprincipiū, nego antecedens, principium enim, quod obediens dicimus est inadæquatum, & non exigit aliud comprincipiū, quia illi secundum se debitum non est, & licet ex suppositione, quod esset operaturum, illud debebat operari, cum illi principio inadæquato ex se non debeatur operatio, non illi debetur habitus ad operationem requisitus. Ad confirmationem Respondeo non omne principium parziale ordinari ad aliud comprincipium parziale, neque omnem partem ordinari ad aliam partem tanquam aliquid debitum, & connexum cum parte, seu comprincipio, quod à Thomista extorquebo necessarid hac ratione. In omni opinione voluntas informata habitu charitatis, seu anima informata gratia constituit totum quoddam concretum accidentale constans ex subiecto, quod est anima tanquam ex parte materiali, & ex gratia tanquam ex parte formali, & anima est compars gratiæ in ordine ad hoc totum concretum gratum, nihilominus anima secundum se non debetur gratia: ergo non cuilibet parti cuiusvis totius debita est alia compars ad componendum totum. Dices hoc concretum gratum constitutum ex anima, & gratia esse totum quiddam accidentale, ac proinde partes inter se non esse connexas, neque vnam habere connexionem cum alia. Rectè quidem eodem modo Resp. totum illud principium adæquatum similiter esse totum quoddam accidentale, & ita illius partes non esse connexas. Dices secundò animam, quæ est pars huius concreti gratum, non exigere cōpartem necessariam ad hoc concretum gratum cōstituendum, quia potest cum alia comparte aliud concretum accidentale constituere. Resp. eadem ratione potentiam volitivam nō exigere comprincipium inadæquatum requisitum ad constituendum principium adæquatum actus charitatis, quia eadem potentia potest cum alio comprincipio naturali componere aliud principium naturale adæquatum ad alium actum naturalem producendum.

13 Obiic. tertio. Si actus procederet ab habitu supernaturali, & à potentia naturali, euaderet naturalis, quia effectus sequitur debiliorem partem principij, vel saltem actus minus haberet supernaturalitatis, quam habitus, quia habitus procederet à principio adæquato supernaturali, & actus tantum à principio partim naturali, partim supernaturali. Respondeo prædicatum supernaturalitatis in aliqua entitate non accipere magis, nec minus, ac proinde non posse vnam entitatem esse magis supernaturalem alia supernaturali: posseque simpliciter supernaturalem esse ex principio inadæquato supernaturali, quod sufficiens est ad effectum supernaturalem producendum, sicuti principium inadæquatum spirituale cum alio principio inadæquato materiali potest effectum simpliciter spirituales producere, ut patet secundum Thomistarum opinionem in intellectu agente simul cum phantasmate producente speciem impressam intellectus simpliciter spirituales procedentem à principio inadæquato spirituali, & ab alio inadæquato materiali, videlicet phantasmate.

\* \* \*

## PUNCTUM VII.

An qualibet creatura habeat potentiam obediensalem actum ad omnes effectus.

## S. I.

Aliorum sententiis propositis nonnulla premituntur.

C Vilibet creatura inesse potentiam obediensalem ad quemlibet effectum quantumvis perfectum per actionemeductivam producendum, si ad illius productionem eleuetur à Deo, Defendunt plures, & grauissimi Doctores ex nostris & ex externis. Ex nostris P. Suar. in 3. part. disp. 3. sect. 5. & tract. 3. disp. 9. sect. 1. & 2. & apud Ripald. tom. 3. de supern. disp. 40. sect. 2. P. Molina, P. Val. P. Did. Ruiz, P. Arrub. P. Gran. P. Ioan. Præposit. P. Alba. P. Tan. P. Henr. P. Becan. P. Sair. quos sequitur idem Ripal. & P. Hurt. disp. 9. sect. 1. 4. subsect. 2. & P. Arriag. disp. 11. sect. 4. Ex externis Palud. Capr. Harv. Ferrar. Caiet. Sor. Aluarr. Nauarr. Ledesm. Nazar. Aluelda & alij plurimi.

Oppositam sententiam defendunt ex nostris P. Vasquez 1. part. disp. 176. c. 3. & 3. part. disp. 57. cap. 5. & disp. 131. c. 3. P. Ragusa tom. 1. in 3. p. disp. 9. n. 11. P. Conink. 3. p. q. 62. art. 4. dub. vnic. P. Alarcon tract. 6. de Angel. disp. 9. cap. 2. P. Galpar Hurtad. tom. de Incarn. disp. 9. diff. 4. & alij plurimi sapientissimi recentiores.

Statuo primò pro quaestione decisione id, quod propugnatores potentie obediensalis etiam ad suam sententiam supponunt, in creatura eleuanda ad effectum producendum debere reperiri quamdam virtutem innatam & inchoatam, quam sect. 5. citatā ad finem, remotam vocauit P. Suar. non quia immediatè ad effectum non concurrat, sed quia non est simpliciter proximè potens, neque in actu primo ad effectum producendum: Rationem huius eleganter tetigit P. Vasquez disp. 176. citatā n. 9. vbi sic argumentatur. Quando res assumitur à Deo ut instrumentum ad alium effectum producendum, non tantum est oido efficientis & effecti inter effectum ipsum, & causam principalem: sed etiam inter effectum & instrumentum ipsum, quia effectus non tantum exit à causa principali, sed re ipsa exit à causa per instrumentum, & instrumentum re ipsa agit id, quod non agebat antequam eleuaretur, ex quo inferitur manifestè in re ipsa eleuata, quam multi vocant instrumentum principij eleuantis iuxta quorum phrasim loquutus est Vasq. debere esse virtutem innatam, & inchoatam ad talem effectum, ut ex illa immediatè & non tantum ex principio eleuante oriatur effectus, quia id quod per se & immediatè formaliter attingit actionem per se immediatè & formaliter debet habere virtutem intrinsecam attingendi actionem, saltem tanquam principium inadæquatum illius. Ita expref. sè Suar. disp. 31. citata, sect. 6. in fine, & Ripal. disputat. 41. sect. 6. num. 4. vbi seipsum refert sect. 3. eiusdem disputationis, & disp. 4. sect. 2. & eadem ratione existimo teneri philosophari omnes quamcumque sententiam tenentes, & ob hanc rationem fassus est Arriag. posse dari, & forsan esse creaturam aliquam quæ ex defectu huius virtutis inchoatæ, & inadæquate non possit eleuari à Deo ad producendum effectum ad quem ex natura sua hanc inchoatam virtutem non habeat.

Suppono secundò, creaturam non habentem virtutem inchoatam, & intrinsecè & per suam entitatem non potentem inadæquate, & remotè in sensu, quo Suar. potentiam hanc remotam vocauit, quem exposui n. 3. non posse eleuari à Deo ad effectum producendum ad quem virtutem hanc non habet, & creaturam omnem habentem hanc virtutem posse à Deo eleuari ad producendum omnem effectum, respectu cuius habet hanc virtutem inchoatam. Prima pars huius asserti inferitur euidenter ex illo quod primò supposui, & probauit, quia si requiritur potestas inchoata, & innata ut deus possit eleuare creaturam, rectè inferitur non posse eleuare creaturam non habentem hanc virtutem inchoatam. Secundum Doctores oppositæ sententiæ grato animo admittent, quæ faciliè probari potest. Deus absque vlla causa creata potest producere omne effectum in se non repugnantem, qui per suam entitatem essentialiter non dependet ab aliqua causa, sicuti actus intentionales vitales: ergo poterit eundem producere cum causa habente aliquā inchoatā, seu partialem virtutem ad eundem effectum.



effectum producendum. Secundum omne principium par-  
tiale, & inadæquatum productum alicuius effectus po-  
test compleri per aliquod principium ad eundem ef-  
fectum: ergo Deus poterit complere principium inadæ-  
quatum, quod habeat creatura ad producendum effe-  
ctum, quem ipsa sine eleuatione aliis principij al-  
terioris ordinis non potest producere, omnipotentia enim  
est virtus infinita continens eminenter omnes effectus  
possibiles, per quam poterit Deus supplere defectum cu-  
iusvis principij, & quæcumque alia virtus creata requisita  
ut constitutur principium adæquatum effectus produ-  
cendi, poterit à Deo produci, & applicari virtuti innatæ  
obedientiali creaturæ, ut simul cum illa vnum principium  
adæquatum constituat ad effectum producendum, ad  
quem potentia obedientialis tantum, est principium inadæ-  
quatum, & inchoatum.

Ex his infertur ad hanc quæstionem dirimendam prius  
examinandum esse, an creaturæ ex se habeant hanc virtu-  
tem innatam, & inchoatam, quæ quæstione definita: fixum  
erit quid dicendum sit de modo, quo Deus se possit gerere  
cum creaturis in ordine ad effectus producendos per su-  
pernaturalem eleuationem quos creatura naturaliter pro-  
ducere non potest, qui enim dixerit creaturas potiri hac  
virtutem inchoatam, & qui dixerit creaturas hac virtute  
carere dicere cogetur Deum non posse creaturas eleuare;  
& uterque eodem modo de omnipotentia philosophatur,  
& qui affirmat nihil defert omnipotentia, quod ab illa au-  
ferat qui negat; neque è contrâ: omnes enim concedunt  
omnipotentia virtutem ad eleuandum creaturam ad produ-  
cendum effectum ad quem habet virtutem inchoatam, &  
innatam, omnemque omnipotentia negant virtutem ad ele-  
uandum creaturam ad effectum ad quem non habet virtu-  
tem innatam & inchoatam, & tantum differunt in hac vir-  
tute innatâ, seu inchoatâ concedenda vel neganda creatu-  
ris, de quibus est quæstio an possint vel non possint eleuari.  
Ex his inferes malè se specie cultus omnipotentia prote-  
gere, qui defendunt creaturas posse eleuari ab omni-  
potentia ad effectum producendum, æquè enim sunt de  
omnipotentia benè meriti, qui oppositam sententiam de-  
fendunt, cum illi concedant virtutem ad eleuandum crea-  
turam, quæ habuerint virtutem inchoatam, & defectui  
omnipotentia non tribuant non posse eleuare creaturas  
quæ de facto existunt, sed defectui creaturarum non ha-  
bentium hanc virtutem, ratione cuius eleuari possint. Ex  
hac doctrina ruit fundamentum Arriagæ ad sententiam af-  
firmatiuam defendendam, contra quam sic ille argumen-  
tatur num. 78. non repugnat vna creatura, quæ nec diuini-  
tus possit eleuari ad omnes effectus: ergo non est vniuer-  
saliter verum dari in omnibus eam potentiam obedi-  
entialem ad omnes effectus. Quam obiectionem fatetur dif-  
ficilem esse, & ita ad illam respondere præsumit: ait hic  
esse quasi dicas contradictorias partes, quarum vna dicit:  
*Non sequuntur duo contradictoria ex eo quod Deus non possit ele-  
uare.* Altera dicit: *Non sequuntur duo contradictoria ex eo, quod  
Deus possit affirmatque in hac controuersia, quamdiu nobis  
non constiterit de repugnantia tenemur inclinare ad par-  
tem, quæ augeat omnipotentiam Dei.* Hæc solutio facile ex  
dictis impugnatur, quia quando obicitur: *non repugnat crea-  
tura, quæ non possit eleuare,* non dicimus non repugnare ali-  
quem defectum in omnipotentia, sed non repugnat exi-  
stere de facto creaturam non habentem in se virtutem in-  
trinsecam inchoatam ad effectum producendum superna-  
turaliter, quem naturaliter non potest. Vnde contradicto-  
riz partes, de quibus est quæstio, non sunt circa naturam  
omnipotentia, sed circa naturam creaturarum, de quibus  
queritur an possint eleuari. His positis, quæ alè tene ad si-  
miles quæstiones, quæ de potentia absoluta procedunt,  
rem totam clarè definiam.

§. II.

*Propria sententia.*

**D**ico primò, creaturas existentes non habere virtu-  
tem innatam, aut inchoatam, ad producendum  
quemcumque effectum, sed tantum intellectum, & volun-  
tatem habere hanc potentiam ad actus supernaturales.  
Probo hanc conclusionem ratione in his quæstionibus,  
quæ de facto procedunt, sæpè à me repetita, & sæpius re-

petenda. Nullum est fundamentum ad concedendam  
aquæ virtutem inchoatam, & innatam ad producendum  
Angelum: ergo virtus hæc illi concedenda non est, non  
enim debemus sine fundamento positio virtutes rerum  
multiplicare, & illa quæ nescimus tanquam verè existen-  
tia propugnare. Nullum esse fundamentum probo ex eo  
quod nullum sit prædicatum in effectibus ita producendis,  
ratione cuius exigant contineri in virtute obedientiali  
cuiuslibet creaturæ, sicuti est in actu vitali supernaturali,  
qui ratione vitalitatis exigit dependere à vita in actu pri-  
mo, quæ cum sit entitas naturalis non potest sine alio  
comprincípio supernaturali eleuante hunc actum produ-  
cere. Quapropter actus amoris Dei quatenus supernatu-  
ralis dependet à principio supernaturali, & à principio  
vitali naturali tanquam à principio eleuato per aliud al-  
terioris ordinis. Hæc est disparitas quam adducit P. Vasquez  
inter animam habentem potentiam obedientialem ad  
actus supernaturales, & non ad alios effectus cum dicit,  
animæ correspondere prædicatum quoddam, quod non  
correspondet in aliis effectibus, quam ego non adduco ad  
probandum præcisè ablatâ hac correspondentiâ ex parte  
principij non posse esse potentiam obedientialem, sed ad  
probandam non esse fundamentum ad dandam potentiam  
obedientialem in anima, seu in aliis entitatibus respectu  
aliorum effectuum, quod est ad concedendam potentiam  
obedientialem in anima respectu actuum vitalium, in qui-  
bus prædicatū vitalitatis arguit potentiam ad illos in sub-  
stantia viuenti, & prædicatū supernaturalitatis arguit hanc  
potentiam indigere eleuatione ut reducat ad actum, quia  
principium naturale non eleuatum non potest supernatu-  
ralem actum producere. Vnde vitalitas actus arguit poten-  
tiam obedientialem ratione prædicati vitalis, quod necessa-  
riò debet correspondere principio vitali, reliqui tamen  
effectus, etsi supernaturales sint, dum vitales non sunt exi-  
gunt hanc correspondentiam, ac proinde in nulla entitate  
arguunt potentiam obedientialem. Neque aliud est caput  
ex quo possit inferri hæc potentia obedientialis, ut con-  
stabit ex solutione argumentorum, quæ contra illam ad-  
duci possunt.

Dico secundò. Non repugnat creatura, quæ habeat po-  
tentiam obedientialem, & inchoatam ad producendum  
quemlibet effectum supernaturalem, & naturalem, qui non  
possit produci à causis naturalibus & qui per se & im-  
mediatè non dependeat ab his numero causis. Ratio est, quæ  
semper in quæstionibus, quæ de possibili procedunt, vnicè  
semper rem probat. Nulla est repugnantia in eo quod de-  
tur talis creatura: ergo poterit dari. Antecedens probo: ex  
eo, quod effectus producendus sit perfectissimus non po-  
test sumi repugnantia, quia potentia, quæ non est princi-  
pium adæquatum effectus non debet esse æquè perfecta  
cum illo: omnis enim inæqualitas quæ sit inter effectum  
producendum, & principium productum suppleri pote-  
rit ratione aliis principij æquè perfecti cum effectui  
producendo, vel ratione omnipotentia specialiter con-  
currentis cum illa entitate dummodo illa habeat innatam  
inchoatamque virtutem ad effectum producendum.

Dico tertio, potest dari entitas habens virtutem inchoa-  
tam ad producendum aliquos ex his effectibus, quos dixi  
in conclusione præcedenti, & non alios etiam imperfe-  
ctiores. Probo: non ex eo quod hæc entitas habeat virtu-  
tem naturalem ad hunc effectum producendum infertur  
habere similem virtutem ad producendum alium etiam  
imperfectiorem illo, quem potest producere; homo enim  
potest producere hominè, & non potest producere equum  
homine imperfectiorem: ergo ex eo quod hæc entitas ha-  
beat virtutem inchoatam, & obedientialem ad producen-  
dum hunc effectum. v. g. hominem non infertur illam ha-  
bere ad producendum alium effectum etiam imperfectio-  
rem. Deinde probatur, quia nulla est repugnantia in eo  
quod Deus producat entitatem cum virtute inchoatâ,  
& obedientiali ad hos effectus, & non ad alios etiam im-  
perfectiores.

Dico quartò. Non potest dari creatura habens poten-  
tiam obedientialem, & innatam ad producendum effectum,  
qui de facto producit à causis naturalibus eo modo, quo  
ab ipsis producit. Rem explicò: ignis producit ab alio  
igne præcisè per applicationem agentis ad passum, non  
potest aliqua alia creatura habere potentiam inchoatam,  
& obedientialem ad ignem hoc modo producem. Equus  
producit ab alio equo per commixtionem maris, & for-  
minæ